

De originele latijnse tekst van de oudste oorkonde van De Bilt

Litterae Mechteldis Imperatricis, anno 1122

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Machteldis, Dei gratia Romanorum regina, cum omni homini praecipitur, ut Deum timeat, praecipue tamen regali sublimitati competit, ut regi omnium regum cum timore serviat, quia cui multum committitur, multum ab eo exigitur.

Hac consideratione nos in futurum nobis providentes ac amicos nobis comparare volentes, qui nos recipiant in aeterna tabernacula, novello monasterio quod in honore sanctae Dei genitricis Mariae sanctique Laurentii martyris in loco, qui dicitur Oistbroick, a quibusdam militibus conversis inchoatum est, ex regalis clementiae munificentia aliquod supplementum apponere decrevimus.

Totam igitur paludem illam Oistbroick et terram adiacentem, quae vulgari sermone appellatur Vene, cum censu, decimis et iustitiis, in perpetuam possessionem praedicto coenobio contradimus, eleemosinam domini imperatoris et nostram, quam sancta Dei genitrix, Virgo gloriosa, cum pretiosissimo et dilecto sibi martyre Laurentio, in die iudicii repraesentet Christo Domino iudicaturus, ut eorum intercessione ad dexteram inter benedictos Dei Patris collocari mereamur. Ut autem haec traditio rata et inconcussa permaneat, cartam hanc inde conscribi et sigillo nostro insigniri iussimus.

Philippus cancellarius, vice Aelberti archicancellarii, recognovi. Data secundo Idus Martii, anno Dominicae Incarnationis millesimo centesimo vicesimo secundo, indictione XV. Anno autem domini Henrici quinti, regni quidem eius XXIII, imperii vero XII. Actum est Traiecti, in Dei nomine feliciter. Amen.

Vidimus Rodolphi de Doitinchem, canonici et thesaurarii ecclesiae sancti Petri Traiectensis, 1346, die sancti Jacobi.

Bron: *Codex Diplomaticus Neerlandicus. Verzameling van oorkonden, betreffende de vaderlandsche geschiedenis*, uitgegeven door het Historisch Genootschap, gevestigd te Utrecht, Tweede Serie, deel IV, tweede afdeeling (Utrecht 1857) pp.5vv.